

A 231

8

Hist.


III. C. 4.

So 1-

Quarto. N. 526.

J. VI, 885.

~~III No J IV 7~~



g 7

FLAVII IOSEPHI
DE
HERODIBVS

HISTORIA

A NOBILITATE SUSPICIONE

IN QVAM

V. CL. IOANNES HARDVINVS S. I.

NVPER VOCAVIT,

IUSTIS VINDICIIS ADSERTA,

ET NUMMIS ANTIQVIS CONCILIATA

AVCTORE

CHRISTOPHORO CELLARIO,

ANTEA

DISPVATIONIS ACADEMICAE LOCO PROPOSITA:

NVNC AB EODEM

RECOGNITA ET AVCTIOR ROGATV

AMICORVM EDITA.

HALAE MAGDEBVRGICAE,

EXSCRIPSIT CHRISTIANVS HENCKELIVS, ACAD. TYP.

CIDIDCC.

FLAVII JOSEPHI
HERODIVS

V. CL. JOANNES HAN DVINVS S. I.

CHRISTOPHORO CELLARIO

DISPUTATIONIS ACADEMICAE LOCO PROPOSITAE

REGOGNITA ET AUCTORIS ROSSATI

HAAB MAGDEBURGENSIS
ACADEMIAE LIBRARIUS





DE Herodibus disserturi principio indicamus, cuius fide in enarratione innitatur. Is *Flavius Iosephus* est, Iudæorum historiae auctor locupletissimus, cui tantum antiqui, recentes, & medii tribuerunt, ut nemini historicorum plus potuerint. Quantum enim est, quod Hieronymus illum epist. xxii ad Eustochium cap. xv cum optimo comparat, dum *Liuium Grecum* appellat? hoc est eum, cuius in condenda historia ingenium, industriam, & fidem non minus omnes mirentur, quam T. Liuii Patauini, cuius visendi causa *Gaditanum* quemdam ab ultimo terrarum orbe venisse, statimque, ut viderat, abiisse, cum Plinius lib. ii epist. iii, tum idem Hieronymus epist. ciii cap. i, referunt. Eusebio, probatissimo & ipsi auctori, H. E. lib. iii cap. ix Iosephus est ἀξιός πιστεύεσθαι, dignus cui fides habeatur: & ut vnum tantummodo ex recentioribus, sed facile principem, adiungamus, magno Scaligero prolegom. Emend. Temp. idem φιλαληθείας, veritatis studiosissimus non immerito censetur.

II. Quanto igitur laus est illustrior, ab laudatis viris, non interrupto consensu, laudari: tanto maior admiratio subit, quod clarissimus vir, & tam Plinio illustrato, quam vrbium & populorum ex nummis geographia eximiam laudem doctrinae consequutus *Ioannes Harduinus*, Pro-
lusionem Chronologiae ex nummis restitutæ Lutetiæ nuper excusa, in tantum derogat de Iosephi auctoritate, ut

A 2

pro

pro inepte ficto & suppositicio auctore habeat, ad id num-
morum, vt ait, fide inductus, qui passim Flauianis narra-
tionibus in Herodiadum historia aduersentur. Nos vt o-
mnino magni antiquos nummos facimus, & ex iis multa
in historiis & chronologia emendari censemus; ita com-
moueri nondum possumus, vt præ hisce nummis, quos
Harduinus producit, omnis antiquitatis & memoriæ in
Iosepho consensionem negligamus, aut penitus elusam il-
lam contemni vel euerti patiamur. Quanta igitur fieri in-
dustria potest, doctissimi viri nummos & rationes, quibus
nititur, ita exponemus omnium conspectui, adiecta veri-
tati consona interpretatione, vt & nummis genuinis sua
fides, & Iosephi simul historiæ sua intemerata constet au-
toritas.

III. Nota est Iosephi de Herodum familia traditio, a do-
ctis omnibus huc vsque magno consensu approbata, & in
Antiqua nostra Historia, locis vbique ex Iosepho signifi-
catis, breuiter repetita. Scilicet Herodem, Antipatri fi-
lium, illustri genere proselytorum Idumææ ortum, sum-
mam rerum in Palæstina a patre acceptã (is autem Ca sa-
ri Iulio debuerat) Antigoni Hasmonæorum vltimi, quem
Parthii iuuabant, inuasionem amisisse, sed breui post Antonii
ope cum titulo Regis recepisse, ac que ita satis multos annos
totam Palæstinam, quæ inter Syriam, Arabiam & Aegyp-
tum patet, Augusti Cæsaris auspiciis, qui confirmauerat
regnum, se uero imperio tenuisse. Huius filium Arche-
laum, quum 19 annos Iudææ & Samariæ imperitasset Eth-
narchæ nomine, in Galliam relegatum esse, & ex posses-
sione eius prouinciam Romanam factam. quam procu-
ratores Cæsaris rexerint: reliquos filios, Herodem Anti-
pam & Philippum, vtrumque suæ tetrarchiæ præfuisse, il-
lum quidem Galilææ & Perææ; hunc Iturææ & Trachoni-
ni-

nitidi; & hoc mortuo; illo itidem relegato, Agrippam, primi Herodis ex interfecto filio Aristobulo nepotem, Claudii Cæsaris favore totum auitum regnum, sublata prouinciæ forma recepisse, sed hoc post paucos annos extincto Iudæam iterum prouinciam factam, filium vero, Agrippam minorem, Chalcidenæ regulum, deinde Abilenes & Philippi tetrarchiæ exstitisse.

IV. Ab his dissentit non vna ratione Harduinus. Primum ait, Herodem per Iulium Cæsarem ingressum dominationem esse: nec illum totam Palæstinam, sed tantum Iudæam & Samariam rexisse: in eodemque regno, cum regio etiam titulo, Archelaum patri successisse: Galilæam autem cum ceteris partibus sub potestate Zenodori tetrarchæ fuisse, cui viuo patre, Herodes, Herodis filius, & Philippus frater eius, vterque tetrarcha, sed diuisa possessione, successerint. Et hunc tetrarcham Herodem, Baptistæ interfectorem, non Iudæum, nec profelytum, sed gentilem, postea regem factum, eundem esse qui Iacobum sustulerit, & Petrum coniecero in vincula, eumque perperam sub Agrippæ nomine a tetrarcha distingui. Neque Iudæam postquam semel a morte Archelai (nam & huius exsilium negat) prouinciæ formam induerit, vnquã rursus regni habitum, vt Iosephus prodit, recepisse. Et quæ reliquæ de hisce rebus paradoxæ opiniones sunt. Singula ordinatim examinabimus.

V. Vir celeberrimus de initio dominationis Herodis ita sentit pag. 24, *Iudæa Herodi data est hanc, vt nunc videtur, ob causam: Erat Iulius Cæsar dictator in magno are alieno Herodis, vt conicere est ex illa Tullii voce ad Atticum lib. v i epist. 1, SED HEVSTV! IAM NE A CAESARE PER HERODEM TALENTA ATTICA QVINQVAGINTA EXTORSISTIS? Mira res, ne dicam, ridicula. Scripta epistola in Asia*

fia est a proconsole Cicerone, quum Cæsar adhuc in Gallia esset. Quo pacto igitur ad illum Herodis Idumæi pecunia? qui ante Alexandrinum bellum ne notus quidem Cæsari fuit. Præterea variatis scripturis vexatus ita locus est, ut quidam non *Herodem*, sed *Orodem* legant: quidam pro *iamne vos* monstrose *Genuarios*; unde sunt, quæ *Genuæ dos*, quod nomen Allobrogum ciuitatis est, exsculpant. Quam clarior explicatioq; est Iosephi historia, Antipatrum, Herodis patrem, Hyrcani regis amicum, in Pelusiaca expugnatione, & in proeliis ceteris egregiam Cæsari operam in Aegypto præstitisse, a quo id præmium laboris accepit, ut Hyrcano regi in gerenda republica adiungeretur, aut solus illam administraret, atque iste, quod simul pontifex erat, rebus sacris magis, quam ciuilibus præesset. Vide Ioseph. lib. I. de Bello cap. VII & VIII.

VII. Nunc fines regno Herodis constituendi sunt. Patre superstite præfectus Galilææ erat, unde in amicitiam Sexti Cæsaris, Syriæ proconsulis, venit. Sed patre, Malichi fraude, hoc est veneno, sublato, incidit Antigoni bellum, Parthorum auxilio gestum, quo Hyrcanus rex captiuus abductus, Phasaëlus, Herodis frater, in carcere se interfecit; ipse Herodes ægre euasit in Italiam: ubi rex ab senatu Romano, Antonii ope, declaratus, aliquamdiu de regno cum Antigono certauit, donec ille Romanis armis, & Sosio duce oppressus, captusque, & securi percussus fuit. Sic Herodes in totum regnum Hasmonæorum venit, cuius pars etiam Galilæa & vicinæ regiones erant. Vir contra clarissimus Io. Harduinus pag. 24, *Herodis ethnarchiam regiamque potestatem ad Iudæam tantummodo cum Samaria pertinuisse* contendit.

VII. Argumenta, quibus persuasus est, fere hæc sunt: primum, quia Lucæ I. comm. 5, vocetur βασιλεύς τῆς Ἰουδαίας

δαίας tantum *Iudæa* rex. At si arcte sumitur *Iudæa*, neque Samariæ imperitavit, quod contra Harduinum est: si laxè, tam Galilæam & Peræam, quam Samariam comprehendit. Deinde obiicit Archelai successionem in his duabus tantum partibus, qui tamen Matth. cap. II. comm. 22. dicatur *ἀντὶ τοῦ πατρὸς*, pro parente suo regnasse, quæ formula integram hereditatem, a patre filio relictam significet. Verum est, significat id, quod vult vir clarissimus, nisi testamentum interueniat, aut superioris domini, qui Augustus erat, alia dispositio: quibus duæ tantum ex quatuor regni partibus maiori filio cesserunt: reliquæ fratribus tetrarchis Antipæ & Philippo. Etiam illud putat, pag. 26, Herodis regnum coarctare, quod nullas vrbes in Galilæa, fidei erga Romanos & reuerentiæ monumenta, condiderit, sicut alibi Cæsaream & Sebasten. At nec in Idumæa condidit, & si accurate loquimur, nec in ipsa Iudæa, quia Cæsarea, vt ex Act. Apost. XI comm. 19. apparet, extra limitem Iudææ fuit. Sufficit aliquibus regni locis condidisse: in singulis partibus ædificare necessarium non erat.

VIII. Tandem illud, tanquam præcipuum vrget, quod Herodis temporibus Galilæa Zenodori tetrarchæ fuisset, a quo Herodis filii vel ad finitatem vel alio titulo acceperint, non autem ex paterna hereditate. Id credit fide nummi vnus alteriusque, qui Octauiani vultum præferant, & in postica vultum Zenodori sine diademate, cum inscriptione ΖΗΝΟΔΩΡΟΣ ΤΕΤΡΑΡΧΗ . . . ΓΗ & in altero, ΖΗΝΟΔΩΡΟΥ ΤΕΤΡΑΡΧΟΥ detritis litteris ceteris, vt legi nequeant. Priore annus Græcorum ita expressus conspicitur, Λ. ΒΠΣ, id est CLXXXII. Sed quid inde conficitur ad minuendos Herodiaci regni fines? Iosephus Antiq. Iud. lib. XV. cap. XIII Zenodoro
Tra-

Trachonitidem cum vicinis partibus adsignat, easque diferte a Galilæa distinguit, quas Augustus post mortem Zenodori donauerit Herodi. Id quod & Dio Cassius confirmat lib. LIV pag. 526, sub vrbis annum DCCXXXIV, τῷ Ηρώδῃ Ζηνοδώρῃ τῷ τετραρχίαν ἔδωκεν, *Herodi Zenodori cuiusdam tetrarchiam donauit Augustus.* Hæc tetrarchia fere illa erat, quam postea Philippus ex paterna hereditate accepit, Paneadem etiam, quod Iosephus addit, complexa: sed tota extra Galilæam. Harduinus autem pag. 30, *Et, inquit, animus ut credam inclinatur, Galilææ simul tetrarchiam fuisse Zenodorum.* Quoniam vero nihil præter inclinationem suam, hoc est coniecturam, adfert; nos potiori iure, id est regni Hasmonei, in quo Herodes successit, adseueramus, extra Zenodori huius possessiones Galilæam exstitisse. Quod de *vultu* obuertit, insueto in nummis Iudaicis, contra ipsum auctorem inuertimus; quia Galilæa vbique ab Iudæis habitata erat, vti pernotum est ex euangelis; nummi vultum præferentes, vt Zenodori sunt, ad Galilææ dominum non possunt pertinere. Vnum, antequam ad reliqua pergamus, de Herode non prætereundum est, post patris mortem, sed ante bellum Parthicum, *tetrarchiam* ab Antonio, quemadmodum & Phasaelus frater; constitutum fuisse, quod Iosephus tradit lib. XIV cap. XXIII; Hyrcano autem capto, & extincto fratre Phasaelo, *etbnarchæ* nomen sibi vsurpasse, quod nos vir illustrissimus & princeps in his litteris *Ezechiele Spanhemius* docet de Præst. & Vsu Numism. pag. 447, producto nummo, cui inscriptum est ΗΡΩΔΟΥ ΕΘΝΑΡΧΗ... quem is pro summo iudicio suo non alium, quam primum Herodem censet fuisse, antequam regium nomen ab Romanis impetraret.

IX. Nunc de *Archelao* disquiremus, quem Iosephus

is-

ἑτράρχης, Etbnarcha honores, non regios, ab Augusto accepisse refert l. xvii. Antiq. c. xiii; ipsumque antequam possessionem Augustus confirmaret, *φειδοποιεῖσθαι τῆ βασιλῆος ὀνόματι*, regio nomine abstinuisse. (ibidem cap. xi) quod illud vnice a Cæsaris auctoritate & ad sensu dependeret. Harduinus autem æque regem, ac patrem, fuisse sibi persuasum habet, quia Matth. cap. i. comm. 22. *βασιλεύειν, regnasse* dicatur, & in locum patris successisse. Quis vero nescit, sacros scriptores sæpe cum vulgo loqui, cui Iudaico præsertim, etiam minores principes *reges* dicuntur, quemadmodum Herodes alter in vna eademque historia a Matthæo cap. xiv. ineunte, & Luca cap. ix. comm. 7. recte & ex Romanorum genio & decreto, *τετράρχης tetrarcha*; a Marco autem cap. vi. comm. 14 *βασιλεύς, rex*, populari loquendi modo, appellatur. Successit in locum quidem patris Archelaus, sed ex parte, quæ ibidem ad Iudæam (*ἐπὶ τῆς Ἰουδαίας*) restricta est: non in toto regno: neque in nomen etiam regium, quod non hereditarium erat, sed Romanorum liberalitate concedendum.

X. In annis etiam Archelai, & exitu non levis est dissensus. Iosephus ait extremo lib. xvii, Archelaum *δεκάτω ἔτει τῆς ἀρχῆς, decimo principatus anno*, id est exacto nono imperii, accusatum a suis & Viennam Galliæ ab Augusto relegatum esse. In re consentit Dio Cassius lib. lv p. 567, *Ἡρώδης ὁ Παλαιστίνος, αἰτίαν τινα ἀπὸ τῶν ἀδελφῶν λαβῶν, ὑπὸ τὰς ἄλπεις ὑπερωρίσθη* Herodes inquit, *Palastinus a fratribus accusatus trans Alpes relegatus est*. Quod is octavo ante mortem Augusti anno, qui & Christi ætatis ferme octauus erat, contigisse, per consules annorum singulorum enumerat. Ex Iosephi autem calculo non ante vndecimum annum Christi potest accidisse. Quod Harduino p. 38 videtur cum sacro codice pugnare, quo *Christus Domingo*

B

di-

dicatur, ante annum etatis duodecimum, singulis annis templum frequentasse, id quod post annum etatis fere octauum intelligendum videtur: ut saltem per annos quatuor ante id tempus in templum se contulisse credatur, quo adire Archelao viuo, quem fugerat, nolisset. Quod vix ex Lucae contextu, (cap. 11) probaueris, ubi κατὰ τὸ ἔθθος, non ad Christum puerum, sed ad parentes vel ad festos dies eorumque ritus referendum est, nisi ex verbis comm. 44, νομισαντες ἐν τῇ συνουσίᾳ εἶναι, quod multi interpretes faciunt, idem velimus colligere. Cui opinioni non repugnamus, nec vero ex eo firmiter, quod Archelaum fugerit, probari credimus, viuento illo in templum non venisse. Ex Aegypto reuersi cum puero parentes non tam Archelaum, vt Herodis filium, refugerunt (sic enim nec se filio alteri credidissent Galilææ imperanti) sed proditionem ex habitationis loco in Bethlehemitico agro, timuerunt.

XI. Sed de annis faciliores sumus, quum numeris, præfertim per notas scriptis, per facile aliquid erroris adlabi possit. Nulli genuini nummi, ab Archelao percussi, superant, ex quibus decidi controuersia possit: id solum ex nummo, quem Harduinus ostendit, clarum probatumq; videtur, ante annum xxxix receptæ Asiæ, seu pugnæ Actiacæ sublatum Archelaum fuisse. Is enim nummus *spica*, fertilitatis symbolo, & *Palma*, Iudææ gloria, insignitus, non alius quam ΚΑΙΣΑΡΟΣ nomen habet, & anni notam ΛΘ, ex quo coniicitur, in Iudæa iam prouincia cūsum esse, non in regno, aut ethnarchia. Quoquo autem anno Archelai imperium cessauit, de modo cessationis maior est controuersia. Iosepho is relegatus est: Harduino sine herede obiit. Quod vero, vt supra diximus, Iosepho dio Cassius consentit, qui communi nomine *Herodem* vocat, quem alii *Archelaum*, vt in *Antipa* quoque & *Agrippa* consueuit fieri; huic
re-

receptæ sententiæ eo constantius inhæremus, quo propius
ad illam etiam Iudæi accedunt. BenGorion enim cap. LXI
extremo: ויהי מקץ ה' ימים עלה על ארקילאוס
חיל הרומיים ויאסרוהו שר ההיל בנחשתים וישלחוהו
אל רומי וימת שם *Post quintum diem* (a somnio Arche-
lai) *adscendit contra Archelaum exercitus Romanorum, cuius*
dux illum catenis constrinxit, misitque Romam ubi mortuus
est. Consentit auctor in deportatione, licet modi & loci
definitione aberret.

XII Sed grauissima lis, vt prædiximus, de *Herode* tetrar-
cha est, & *Agrippa* rege, quos distinguit Iosephus vt filium
Herodis, Baptistæ interfectorem, Antipam singulari no-
mine, eundemque tetrarcham Galilææ, non regem, in
Galliam a C. Cæsare relegatum: & alterum Agrippam
Herodem, Herodis magni ex Aristobulo, quem interfe-
cerat, nepotem, a Caio Cæsare tetrarchiis Philippi & Ly-
saniæ, ac regio nomine ornatum, postea etiam tetrarchia
Antipæ a Claudio Iudææ quoque & Samariæ regionibus
auctum, sed breuis imperii regem, vix tertio Claudii ex-
pleto anno fataliter peremptum. Harduino autem v-
nus idemque est Herodes longo tempore tetrarcha, tan-
dem etiam rex, atque sic idem qui Baptistam & Iacobum,
Ioannis fratrem, interfecit. Quam sententiam nunc no-
strum est diligentius examinare.

XIII. Primum in eo Harduinus est, vt tetrarcham He-
rodem non Iudæum, nec profelytum, sed gentilem fuisse
persuadeat p. 54. seq. At vero qui natus est Iudæo patre; &
ea gente oriundus, quæ tota ante nonaginta annos profe-
lytorum lege Iudæis adscripta fuerat: & qui præfuit genti
Iudæicæ, vt Galilæi erant: ac quotannis ad sacra Iudæorum
profectus Hierosolymam est, & Ioannem Baptistam liben-
ter

ter audiuit; hunc Iudæis ritibus initiatum fuisse negabimus? Natus is erat herode rege, Iudaismi obseruatore, vt præter Iosephum vel ex Augusti ioco apud Macrobi-
 um lib. II Saturn cap. IV, *Melius est Herodis porcum esse quam fili-
 um*, apparet. Non exstat in Scripturis sanctis, tetrarcham
 hunc regis herodis filium esse, quod Iosephus adfirmat;
 sed si Iosepho non credemus, euincit vetus inscriptio, a di-
 ligentissimo viro Iac. Sponio Miscell. Erud. Antiq. f. 338. in
 lucem producta: ΗΡΩΔΗΝ ΗΡΩΔΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΥΙΟΝ ΤΕ-
 ΤΡΑΡΧΗΝ &c. Nec illa ætate Idumæi, vnde Genus he-
 rodes ducebant, profelyti, sed Iudæi erant, a longo tem-
 pore in Iudaismum recepti, adeo, vt Scaliger ad Euseb. A-
 nimaduers. p. 165 probet, herodem maiorem profelyti ab-
 nepotem exstitisse. Quæ satis confirmant, non ita tetrar-
 cham, vt Ἰδμητες, *Græci*, Ioann. XII. vers. 20, quod Harduinus
 credit, Hierosolymam sacrorum caussa profectum, sed
 tanquam Iudæum, & Iudaica sacra plenissime professum.
 quod autem p. 56. ex illicito coniugio, cum fratris vxore
 inito, & ab Ioanne improbato, contra Iudaismum tetrar-
 chæ argumentum petit; nobis plane contrarium vide-
 tur; nec dignum, cui multis verbis respondeamus.

XIV. Deinde ex nummo & numero annorum tetrar-
 chiæ Iosephum falsitatis inculcat. Is ita scalptus Græcis lit-
 teris est: ΗΡΩΔΗΣ ΤΕΤΡΑΡΧΗΣ L. ΜΓ. & in altera facie
 ΓΑΙΩ ΚΑΙΣΑ, ΓΕΡΜ. ΣΕΒ. siue vt eminentissimus vir Hen-
 noris, singulari dissertatione *de Nummo Herodis Antipa*, æri
 incisum expresit, in anticæ laurea ΓΑΙΩ ΚΑΙΣΑ. ΓΕΡ...
 ΝΙΚΩ: in postica circa palmam ΗΡΩΔΗΣ ΤΕΤΡΑΡΧΗΣ,
 cum anni litteris ΜΓ. Ex quo constare videtur sub Caio
 Caligula XLIII annum tetrarchiæ herodem egisse. Sed
 nec hoc Iosephi historiæ repugnat, qui non sub alio, quam
 Caio principe, relegatum tetrarcham dixit, & postremo
 qui-

quidem illius anno. Vide Antiq. Iud. lib. xviii cap. ix. Et laudatus Norisius pro docta sua computandi ratione ita calculum disponit, vt hinc xliiii tetrarchæ annus cum vltimo Caligulæ bene conueniat. Quod si vero aliam & vulgarem rationem numerus tetrarchiæ excedere videatur; non inconueniens erit dicere, Antipam a viuo patre, seu aliquot ante mortem annis, Galilææ fuisse præfectum, sicut ipse pater Herodes ab Antipatro parente suo, adhuc superstiti & principatum tenente, vt supra diximus, eidem Galilææ præpositus fuerat. Hæc satis tuendo calculo sunt, si vtique non alia æra, quam tetrarchiæ acceptæ, intelligenda sit.

XV. Ad hæc vnum esse tetrarcham & regem ex communi nomine *Herodis* Harduinus putat, quum Scriptura neque *Antipæ*, neque *Agrippæ*, maioris nempe, nomen habeat. Sed nihil proficit. Etiam si enim discriminationis nomina, quæ Iosephus pandit, Scriptura non vsurpauerit; habet tamen alios discernendi satis claros characteres, dum v. gr. Act. xii & xiii, vtroque ineunte capite, alterum Herodem *regem*, alterum *tetrarcham* nominat, qui sane diuersi honores & munia sunt. Et quoties alij scriptores *Antiochos*, *Ptolemaeos* nominant, non apposito, quo differant inuicem, vlllo cognomine? Iustinus quidem Martyr Dial. contra Tryph. p. 330 Herodem quoque Herodis, sub quo natus Christus est, filium, βασιλέα, *regem*, vocat, sed dum βασιλέα Ἰουδαίων, *Iudeorum regem*, & διάδοχον, *successorem patris* appellat, satis imperitiam historiarum rerum prodidit.

XVI. ad alium itaque nummum p. 48 vir clarissimus prouocat, in quo scriptum est ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΗΡΩΔ... .. ΥΔΙΟΝ: & in altera parte ΚΛΑΥΔΙΩ ΚΑΙΣΑΡΙ ΣΕΒΑΣΤΙΩ ΕΤ. Γ, *Rex Herodes Philoclauius &*

B 3

Clau-

Claudio Cafari Augusto, ann. III. Quid cogit vero, vt de Herode Herodis filio hæc intelligamus? aut quid impedit, quominus cum summo viro, quem iterum honoris causa nominamus, Ez. Spanhemio, pag. 443. de Agrippa Maiore interpretemur? Is sane, Iosepho teste lib. XIX extremo, tres annos vixit in aucto sibi a Claudio regno, in cuius beneficii professionem *Pbitoclaudius* censerit voluit, & aliquot regni sui vrbes, vt Gabam, Tiberiadem, *Claudias* appellauit, quod supra laudatus Henr. Noris in Epoch. Syro-Maced. pag. 389 & 463 itidem ex nummis declarauit. Quo & illum nummum referendum putamus, quem Lucas Holsteinius, Germanorum quondam inter Italos decus, in Steph. Byz. pag. 154 ex Barberina gaza ostendit, ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΗΡΩΔΗΣ, & in auersa, ΚΛΑΥΔΙΑ ΚΑΙΣΑΡΙΑ, *Rex Herodes, Claudia Cafaria.*


§. XVII. Hic est ille Herodes, Iosepho *Agrippa maior* cognominatus; cuius mentio facta est XII cap. Apostol. Actuum. Quod si Iosephi testimonium pro more spreuerit vir doctissimus Harduinus; nequaquam tamen contemni licebit antiquissimi interpretis Syri suffragium, qui vt omnem scrupulum eximeret, non tam interpretem quam paraphrastam egit, dubitabilem locum cap. XII comm. I. summa perspicuitate ita interpretatur, *וְהָיָה הַמֶּלֶךְ הַזֶּה שֶׁשְׁמוֹ הָיָה אֲגִרִיפָא הֵרֹדֵס רֶגֶל אֲגִרִיפָא* *Herodes rex, qui cognominatur Agrippas.* Quid clarius dici potuisset, & quidem in tanta antiquitate, qua vix maiorem habere possumus? Sic omnes codices ferunt, nec quidquam variantis lectionis obseruatum vnquam est, vnde de nouitate aut interpolatione conici fortassis possit.

XVIII. Quum ergo vlr clarissimus nihil ex nummis adferat, quo recepta ex Iosepho de Herodibus
 sen-

sententia euertatur; utique in ea perstantes, Act. xii Herodem Agrippam, Aristobuli filium, cui Claudius Cæsar auitum regnum donauerat, intelligendum esse censemus. Hinc a Tiberio, cui maledixerat, in vincula coniectus, a Caio Cæsare solutus & rex tetrarchiæ Philippi & Lysaniæ factus, post tertium annum ab eodem tetrarchæ Herodis possessionem accepit: mox a Claudio Samariam quoque & Iudæam, vt sic omnem Palæstinam siue Israelis terram, per triennium, ad fatalem vsque mortis pœnam, ab Iosepho non minus quam a S. Luca (licet ab illo obscurius) notatam, possederit. Vide Antiq. Iud. lib. xix extr. & Dion. Cass. lib. Lix pag. 645. & lib. Lx p. 670.

XIX. Accedit egregium ab hoste testimonium, Iusto nempe Tiberiensi, Galilæo, cui graues inimicitia cum Iosepho, æquali suo, intercesserunt, nihilominus cum isto in Herodum distinctione consentiente. Ex eius chronico Photius Biblioth. cod. xxxiii hæc excerpfit: "Αρχεται τῆς ἱστορίας ἀπὸ Μωσέως, καταλήγει δὲ ἕως τελευτῆς Ἀγρίππα τῆς ἐβδόμης μὲν τῶν ἀπὸ τῆς οἰκίας Ἡρώδου ὑστάτης δὲ ἐν τοῖς Ἰουδαίοις βασιλεῦσιν. ὅς παρέλαβε μὲν τὴν ἀρχὴν ἐπὶ Κλαυδίου, ἠυξήθη δὲ ἐπὶ Νέρωνος ἢ ἔτι μᾶλλον ὑπὸ Οὐεσπασιανῶν. τελευτᾷ δὲ ἔτει τρίτῳ τραιάνου. Hoc est, in Herodum regnatrice familia septimum ac ultimum fuisse Agrippam minorem, qui sub Claudio regnare cœperit: vita excesserit anno tertio Traiani. Bene autem hic numerus cum Iosepho conuenit, cui I est *Herodes Magnus*: II *Archelaus*: III *Philippus*: IV *Antipas*: V *Agrippas maior*: VI *Herodes Calcidus*: VII *Agrippa minor*.

XX. Negat Harduinus Herodem Actuum Apostolicorum Iudææ imperasse, aut prouinciam Romanam rursus regnum fieri potuisse. At quot exempla in Asia sunt, Ciliciæ, Ponti, Syriæ Commagenæ, vbi, prouinciæ formu-

mulis abrogatis, regna restituta sunt? Ex Tabulis, Historiæ Antiquæ nostræ subiectis, omnia clarissime dilucent. Sed Hierosolymæ forsitan hospes fuit, vt tetrarches Herodes, cui vincitum Seruatorem Pilatus submisit. Apostolos itaq; tanquam Galilæos, ad Galilææ principem, forte præsentem, procurator Cæsaris remisit, præsertim in caussa non ciuili, sed religionis Iudaicæ. Ita sentit & interpretatur sæpe laudatus Harduinus p. 55. Verum haudquaquam hæc sufficiunt ad sensum Lucæ interpretandum. Si hospes tantum fuit; vnde potestatem supplicii in milites præsidis Romani habet, neglectæ custodiæ reos? nam XIX commate eiusdem capituli, ἐκέλευσε ἀπαχθῆναι, duci ad supplicium & securi feriri iussit, quod Latini etiam simpliciter duci dicunt. Plinius de Christianis ad Traianum epistola, perseverantes duci iussi. Vide quæ ibi adnotauimus. Syrus interpres rursus perspicue,  condemnavit illos custodes, & præcepit interfici. Addo: si hospes tantum fuit, cur Hierosolymis Cæsaream discessit, & διέτριβεν, habitavit ibidem tanquam in regia sua? Quando autem provincia erat Iudæa; non Galilæi principis, sed præsidis Romani sedes Cæsarea erat, vti ex Felicis & Festi historia longe est clarissimum.

XXI. Ipse nummus, quo Harduinus gloriatur, inscriptus ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΜΕΓΑΣ ΑΓΡΙΠΠΑΣ ΦΙΛΟΚΛΑΥΔΙΟΣ, Rex magnus Agrippas Claudii amicus, pro Iosephi sententia cum primis facit. Si enim magnus rex ille fuit, vti fuit, nummo præferente; omnino sequi oportet, vt maiores possessiones, quam geminam tetrarchiam, ab Harduino ipsi tributam, Galilææ & Philippi, (vide pag. 65) tenuerit, quæ vix regis aut reguli nomine, ne dicam magni, dignæ habebantur. Iosepho autem hic Agrippa amplioris regni, aui-

auiti nempe, seu totius Palæstinæ dominus laudatur, a quo minus ambitiosus ille titulus abhorret.

XXII. Diximus supra de religione Herodis illius tetrarchæ a quo diuersum Herodem regem esse, Act. XII memoratum, quum demonstraauerimus; de eio etiam religione dispicere non nullum in historia pretium erit. Harduinus, cui vnus est tetrarcha & rex, eodem loco negat, qui Iacobum occiderit, Iudæum fuisse. *Nec profelytum*, inquit, p. 55. *neque Iudæum fuisse, Lucas aperte declarat; qui eum non studio religionis impulsus, sed, QVIA PLACERET IVDÆIS, bellum Christianis indixisse narrat.* Anne vero Iudæi non sunt, qui *Iudæis student placere*? Sic neque Romani fuissent, qui *populares* dicebantur effusis patrimoniis, vt populo placerent, eius fauorem sibi & studium populi concilians: nec ex imperatoribus Romani, qui ob eandem caussam *ciuillissime*, vt Eutropius ait, sese in imperio gesserunt.

XXIII. Huius Agrippæ frater fuit *Herodes, rex Chalcidensis*, Iosepho auctore lib. II de Bello cap. XIX Gr. (Lat. cap. X) cuius nummum Petrus Seguinus, vir huius studij peritissimus, produxit, ita signatum in laurea: ΚΛΑΥΔΙΟΥ ΚΑΙΣΑΡΙ ΣΕΒΑΣΤΩ ΕΤ. Ε. id est, *Claudio Cesari Augusto, ann. V.* & in auersa parte, senili capiti, & fascia regali præcincto circumscriptum: ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΗΡΩΔΟΥ ΤΑΙΟΥ, *Rex Herodes Φιλοκλάυδι*. Harduinus contra pag. 58, *Quid si non tantum nullus Herodes Chalcidicus, sed neque regnum Chalcidis ullum fuit?* Ita facillime censet præiudicio occupatus, falsa omnia esse, quæ ex sola Iosephi historia promuntur. hic vero herodem, Agrippæ fratrem, lib. XIX cap. vlt. dicit τῆς χαλκίδος δυναστεύοντα, *Chalcidis dynastam*: & lib. II de Bello c. XIX de eodem, ἠρξεν τῆς χαλκίδος, *regnabat in Chalcide.* Immo *rex a Claudio appellatus* in epist. apud Ioseph. lib. XX cap.

C

cap.

cap. i. Momentum quæstionis ex eo pendet, an quinto Claudii anno superfuerit Herodes Agrippa, quod verò simile non est, etiam contra Eusebium, qui in Chronicis quarto imperii anno interiisse dicit, quod laudat & approbat Scaliger Animaduers. pag. 189. Quid? quod Dio Cassius, incorrupta fide Auctor, lib. LX pag. 670 de Claudio Cæsare: ἀδελφῶν αὐτῆς Ἡρώδης δυναστείας τινα ἔδωκε, fratri (maioris Agrippæ) principatum quemdam dedit, quem Iosephus lib. XIX cap. I V & c. nominatim significat non alium, quam Chalcidicum fuisse. Nondum ergo satis rationis est, ut ab Iosepho & Eusebio refugiamus, quibuscum bene etiam Dio, ut cognouimus iam, concordat.

XXIII. Filius Agrippa, superest, in Actibus Apostolorum cap. XXV cum sorore Berenice memoratus. Hic Romæ apud Claudium erat septemdecim annorum adolescens, quum de morte patris nuntius adferretur. Cui successorem hunc Claudio constituisset, nisi amici admonuissent, periculosum esse limitaneum regnum, ut Iudaicum erat, puero regi committere. Rursus itaque in prouinciæ formam Iudæa cum ceteris Agrippæ possessionibus redacta, Cuspis Fado missus, qui præses ordinaret regeretque. Vide Iosephum extremo lib. XX. Negat Harduinus, Iudæam iterum prouinciã factam, quæ nunquam cessauerit, postquam semel facta sub Augusto fuerat. Respondimus supra sectione XIX, exemplis regionum in Asia, quæ ex Romanis prouinciis regna, & rursus prouinciæ factæ fuerant. Nunc Taciti suffragium accedat ex lib. V. Histor. cap. IX Claudius defunctis regibus, aut admodicum redactis, Iudæam prouinciã equitibus Romanis aut libertis permisit.

XXV. Nec vero Agrippa, Agrippæ filius, regno caruit, sed id non statim post mortem patris consequutus est. Iosephus Scaliger in Euseb. p. 189, Non statim, ait, ab obitu

bitu patris regnum illi traditum, sed nomine Caesaris tamdiu
 administratum, quoad Rex tutela sua fieret. Idem paucis in-
 teriectis ad Taciti verba annali XII C. XXIII, ITURAE
 ET IUDAEI, DEFUNCTIS REGIBVS SOHEMO AT-
 QUE AGRIPPA, PROVINCIAE SYRIAE ADDITI,
 Intelligendum, inquit, Ituraeos Syria perpetuo additos fuisse:
 Iudaeos autem, quoad Agrippa Iunior ad tutelam suam perueni-
 ret. Sed quinquennio post obitum Agrippae senioris hoc conti-
 gisse quis credat, nisi qui in ratione temporum, & historia
 externa, Corn. Tacitum non semel, neque leuiter peccasse
 meminerit. Malim aliter scripsisse vir maxime dignita-
 tis. Bene enim inter Tacitum atque Iosephum conue-
 nit. Mors Agrippae maioris, vt supra ex Iosepho & Eu-
 sebio ostensum, in annum IV Claudii incidit. — Minor A-
 grippa, XVII annorum puer, non successit patri, cu-
 ius regnum prouinciae formam subiit, aut Syriacae pro-
 uinciae adiectum fuit. Nono imperii anno, ineunte, hoc
 est C. Pompeio & Q. Verannio coss. in Chalcidico regno,
 Herodi patruo, haud dubie tum morturo, Agrippam,
 Agrippae filium, imperator Claudius suffecit: sed quadri-
 ennio post, hoc est imperii sui duodecimo anno, demta
 Chalcide, eidem Philippi & Lysaniae tetrarchias, hoc est
 Trachonitidem, Batanaeam, & Abilenam donauit, quum
 interea Iudaea, Samaria, & Galilaea, ac reliqua eiusdem iu-
 ris, a praefide Romano vsque ad excidium vrbis regeren-
 tur. Vide Iosephum lib. XX. cap. V. Diu praefuit regno suo
 Agrippa, per quinquaginta annos, ab IX Claudii ad III
 Traiani. Photius enim patriarcha, Cod. XXXIII Bibli-
 othecae, ex Iusto Tiberiensi, qui aequalis Iosepho fuit,
 verbis supra adlegatis haec recenset: Ἀρχεται τῆς ἰσο-
 ρίας ἀπὸ Μωσέως. καταλήγει ἕως τελευτῆς Ἀγρίππα, τὸ ἑβδό-
 μον μὲν τῶν ἀπὸ τῆς οἰκίας Ἡρώδου ὑστάτους δὲ ἐν τοῖς Ἰουδαίων βασι-
 λεύσιν. ὃς παρέλαβε μὲν τὴν ἀρχὴν ἐπὶ Κλαυδίου, ἠυξήθη ἐπὶ Νέρ-
 ρων

εων, ἢ ἔτι μᾶλλον ὑπὸ Οὐεσπασιανῶ. τελευτᾷ δὲ ἔτει τρίτῳ
 Τραϊανῶ. Hoc est: Incipit (Iustus) historiam a Mose: desinit
 in morte Agrippæ, septimi illius e familia Herodis, & ultimi in-
 ter Iudeorum reges. Qui regnum sub Claudio accepit, quod au-
 ctum a Nerone est, magisque a Vespasiano. Mortuus anno tertio
 Traiani. Multa numismata huius regis supersunt cum Ve-
 spasiani, Titi, Domitiani iconibus percussa, quæ summus
 patronus noster Ez. Spanheimius de Præst. & usu numism.
 p. 864. ostendit, quorum illud, quod cum Vespasiani effi-
 gie est, in postica habet: ΕΤΟΥ ΚΘΒΑ. ΑΓΡΙΠΠΑ anno
 XXIX regis Agrippæ, quod satis argumentum est longæ-
 uæ dominationis.

XXVI. Hæc de Herodibus eorumque ordine & suc-
 cessione. Quod reliquum eorum est, quæ contra Iose-
 phum Harduinus vrget, nunc vindicandum nobis sumi-
 mus. Cuius fidem ille vt omnibus suspectam faciat, pri-
 mum obiicit, *Antipa* nomen, quod Iosepho debemus, in
 nummis & inscriptione supra n. XIII adducta non appa-
 rere. At vero si id valeret, etiam *Archelai* nomen sus-
 ctum foret, quod, vt ipse Harduinus fatetur, in nummis
 non occurrit, & pro illo *Herodes* apud Cassium inuenitur.
 Quale autem sit *Antipa* nomen, Gorionides cap. LXIII
 ineunte ostendit, qui אנטיופטר, *Antipatrum*, Græco no-
 mine appellat, ex quo fit *Antipas*, sicut ex Harpocrates
Harpocras apud Plinium lib. x. epist. v. Pergit Harduinus
 Iosepho falsitatem obiicere, dum Herodem Antipam mo-
 do in Galliam, modo in Hispaniam relegatum dicat. Sed &
 hæc perfacile conciliari possunt, quum in Galliam pri-
 mum deinde v grauior pœna esset, in Hispaniam vsque,
 atq; sic longissime a patria, abduci potuerit. In Hispaniam
 missum fuisse Gorionides quoque cap. LXIII, & Rabbi
 Ganz. pag. 36. confirmant, ספרר locum exfilii nominan-
 tes,

tes, quæ Iudæis Hispania est. Ad hæc ex eo etiam sus-
ceptum vult Iosephum reddere p. 51, quod Claudium in
imperio capeffendo ab Agrippa, qui forte Romæ erat, ad-
iutum scribat, quum non pronum ad fidem sit, ditionis
barbaræ regum consiliorum senatus arbitrum fuisse.
Sed & heic non deest, qui Iosephi fidem tueatur, Dio Caf-
sius lib LX p. 670. de Claudio: τῷ Ἀγρίππᾳ τῷ Παλαιστίνῳ,
συμπράξαντί οἱ τὴν ἡγεμονίαν ἔτυχε γὰρ ἐν τῇ Ρώμῃ ὧν) τὴν
ἀρχὴν προσεπήνευξεν Agrippæ Palestino, qui eum in poti-
undo principatu adiuuërat, regnum auxit.

XXVII. Alia via vir clarissimus Iosephum adgredi-
tur, templi Hierosolymitani nouam structuram, quam il-
le lib. xv cap. xiv Herodi tribuat, *confictam* in magnifi-
centiæ prædicationem esse, pag. 32. obiiciens. Non autem
confictam esse illam templi instaurationem, etiam ex di-
uino scriptore Ioanne, cap. II comm. 20, non obscure pro-
batur. Illi enim XLVI anni οἰκοδομήσεως, ad Zorobabelis
templum, quod quadriennio perfectum fuit (Esdræ v 1,
15.) referri non possunt. Neque cum prouincia Iudæa es-
set, cessauit templum renouari, nec vero auspiciis Roma-
ni illud præsidis fiebat. Cæsares enim principi cuidam Iu-
daici generis hanc sacrorum & templi curam permisere,
vt, Agrippa maiore sublato, Claudius Herodi fratri, Chal-
cidenfi regulo, concessit, Ioseph. lib. xx cap. I & III, quod
ius postmodum Agrippæ minori mansit, vsque ad tem-
pli & vrbs eversioem. Vide ibidem cap. VII, & cum
primis cap. VIII. f. 699, ubi de Agrippa rege dicitur,
ἐπεπίστευτο ὑπὸ Κλαυδίου Καίσαρος τὴν ἐπιμέλειαν τῆς ἱερῆς,
templi curam ei Claudius Cesar concediderat; quamuis ne-
que Herodi illi, nec Agrippæ iuniori in Iudæam vel Hie-
rosolyma quidquam iuris fuerit, quod omne penes præ-
fidem seu procuratorem erat.

XXVIII.

XXVIII. Aliud crimen Iosepho Harduinus impingit, ex quo constare putat, auctoriali Palæstinam non fuisse conspectam, quia lib. xv cap. xiii Cæsaream Palæstinæ ἐν τῇ Φοινίκῃ, in Phœnice, posuisset. Nouum crimen & ante inauditum, cuius si reus Iosephus agendus est, ante hunc princeps geographorum Strabo quoque condemnari debet. Hic enim lib. xvi p. 520. *Iam Cœlesyria peragrata, ἐπὶ τὴν Φοινίκην μέτουμεν, in Phœnicen transimus.* Recensitis urbibus, tandem claudit p. 523. hisce verbis: τοιαύτη μὲν ἡ Φοινίκη *Hactenus de Phœnicia.* Medio sermone & in mediis Phœnices urbibus infit: μετὰ τὴν Ἄκην, Στρατῶν σύγγρον προσορμὸν ἔχων, post *Alcen*, (quæ Ptolemæis est) *Stratonis turris, nauale habens.* Hæc autem ipsa Cæsarea. Plinius lib. v. cap. xiii *Stratonis turris, eadem Cæsarea, ab Herode rege condita.* Quo iure nunc Iosephus accusatur, qui idem sensit quod Strabo, quod alii geographorum historicorumque? quibusdam longior in austrum Phœnicia procurrit, licet aliis angustiori limite definiatur. Liuius lib. xxxv. cap. xiii *Antiochus rex, ea byeme Raphia in Phœnice Ptolemæo regi Aegypti filia in matrimonium data, - - extremo iam hiemis Epbesum peruenit.* Raphia autem prope Aegypti fines ad mare est.

XXIX. Tandem etiam de *Hasmonæorum regno*, Iosephum Harduinus sublestæ fidei insimulat. At vero diu ante Iosephum Strabo lib. xvi p. 524 in Syriæ & Iudææ enarratione: πρῶτος ἀνθ' ἰσραήλ ἀνέδειξεν ἑαυτὸν βασιλεῖα Ἀλέξανδρον, *primus pro pontifice se regem fecit Alexander, qui & Iannæus erat; Hyrcani & Aristobuli pater: quod satis ad fabulam, quam obiicit Harduinus, diluendam est, licet in eo corrigendus Strabo sit, quod Alexander hic non primus fuerat, qui diademate & regis titulo uteretur, sed frater eius Aristobulus eodem honore antecessit.* Ad hoc, credo, inductus

Etuse est vir clarissimus, quod nummos forsan Hasmō-
næorum regum non repererat. Sed sic multæ & præ-
stantissimæ partes historiarum negandæ forent. v. gr. Im-
perium Trapezuntinum, quod per ccl. annos stetit, ab
Alexio Comneno conditum, quum Constantinopolis in
Latinorum potestatem venisset; ex nummis adhuc illu-
strari nondum potuit, nec peritissimi viri eos videre se
meminerunt. Nec vero propterea fabula est quod Ni-
cetas, Gregoras, Paullus Venetus, Chalcocondyles de il-
lo narrauerunt.

XXX. Denique in foro quoque Grammaticorum
Harduinus reum Iosephum facit *Taceo*, inquit p. 64, de Iose-
phi solæco, *Αγρίππ*, quod etiam in codd. MSS. legitur, pro
Αγρίππα, ut nummi exhibent ipsius Agrippæ, quicum vixisse
vult videri. Sed bona verba, quæso. Solæcum non est,
quo optimi Græcitas scriptores vsi sunt. Gemina forma
gignendi casus in his nominibus est, & *Αγρίππα* quidem
Act. Apost. xx v. 2, & apud Xiphilinum Vespasiano tam
Stephani editione p. 222, quam Sylburgii p. 322. reperitur
nec vero solæca est altera in *s* terminata, qua Plutarchus
in Antonio p. 946. Dio Cassius ineunte lib. LII, Appianus
Alexandrinus B. Civ. lib. v, & elegantiorum imitator Zo-
narus in Augusto, vsi sunt. Hosne ergo solæcismi accusa-
bit Harduinus? Nec in aliis propriis, in *as* finitis, inusitatum
est. v. g. *Αινεί*, *Αρέτ*, *Μαική*. Theodorus Gaza, Isagog. lib.
I. p. 4. κλίνεται *Αιείας*, *Αινεί* & nummus ab Andr. Morellio,
sagacissimo antiquitatis scrutatore, in Specim. Tab. xxiii
nuper productus: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΡΕΤΟΥ ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ:
& ipse Dio Cassius d. I. μετά τε τῆ *Αγρίππ* ἢ τῆ *Μαική*.
Neque alterius formæ, quam solam Harduinus Græcam
putat, ignarus fuit Iosephus noster, quod vel vno exemplo
satis sit ostendisse. Lib. xiv Antiquit. cap. 11 pag. 469
*Πέτρα, τὰ βασιλεια τῆ *Αρέτα**.

XXXI.


51

XXXI. Super est, quod infantium cædem de industria præterierit, ne legisse sacras Novi Testamenti litteras videretur: p. 36. Etiam Scaligero in Euseb. Animaduers. p. 176. mirum est, tam belluine crudelitatis exemplum ab Iosepho præteritum esse, qui tanta diligentia, reliqua sauitia Herodiana facinora persequitur. Miramur ipsimet; nec vero id satis putamus esse ad fraudem scribentis, quo Harduinus refert, euincendam. Fieri enim alia de caussa potuit, & si qua culpa est in Nicolaum Damascenum potius, quam Iosephum, illa reiicienda. Iste enim haud dubie præteriit, quia viuente Herode scripsit, cuius amicus & orator ad Augustum fuit; quem dum presse, vti non diffitetur, Iosephus insequutus est; forte accidit, quod aliis pluribus accidisse nouimus, vt non dedita opera, sed partim memoriæ lapsu, partim tenaci præeuntis persequutione, detestabile factum effugerit animum, memoriam & manum scribentis.

CL. V. Io. Harduinus pag. 39. νοθείας scriptores accusat, qui Romanos imperatores vocant βασιλέας, & imperium illorum βασιλείαν. Esto, exosa Latina fuisse vocabula regnum & rex: Græca tamen mitius fuerunt, nec inuitis Romanis, habitæ. Herodianus lib. I cap. II de Marco imperatore, βασιλεύοντι Μάρκῳ: & cap. VI de Commodō, τὴν τῆ βασιλείας ἀφίξιν; ac ibidem de Faustina augusta, βασιλίῳ. Et ante Herodianum Pausanias Phoc. cap. V XI βασιλεύς Ἀύγουστος: & Dionysius Perieg. v. 1052

Ἀύγουστου βασιλείας, - - -
 Augustum Cæsarem, sub quo scripsit, designans: ac Diodorus Siculus ecloga libri XXXV ΙΝ ΠΕΡΑΤΩΡΑ αὐτὸν ἀναγορεύειν καὶ ἀποκαλεῖν, ὃ ἐστὶ βασιλεία, Non est itaque quod cum Harduino τὸν βασιλεία ὑπερέχοντα I Petri II comm. 14 de Polemone malimus, quam cum Grotio de Romano imperatore, interpretari. Sequiori æuo ita βασιλείας vocem sibi Constantinopolitani vindicarunt, vt ceteros reges, etiam ipsos Germanicos imperatores, ægre βασιλέας, sed tantum ῥήγας (ἁ ῥήξ, rex) appellauerint. Exempla prostant passim in
 Historia Byzantina.

☉ (○) ☉



r
a
r
o
p
u
i
n
e
x
m
p
l
o
r
u
n
l
e
g
u
a
r
o
d
i
c
o
v
l
u
m
p
r
i
m
u
m

Universitäts- und Landesbibliothek
Sachsen-Anhalt
Magdeburg
19.12.2011



ALG 154888

ULB Halle 3
003 941 108





sn

V. 17

R







non rariis ab Anonisto acce-

I IOSEPHI
DE
DIBVS

STORIA

AE SVSPICIONE

N QVAM

HARDVINVS S. I.

VOCAVIT,

DICIIS ADSERTA,

TIQVIS CONCILIATA

CTORE

RO CELLARIO,

ANTEA

EMICAE LOCO PROPOSITA:

AB EODEM

AVCTIOR ROGATV

RVM EDITA.

IGDEBVRGICAE,

VVS HENCKELIVS, ACAD. TYP.

MDCCC.

